

1

QUANTVM INTERSIT
INTER AMOREM ERGA INIMICOS
STOICVM ET CHRISTIANVM



EXPONIT

ATQVE

ORATIONES

CRAS HORA NONA MATVTINA

IN FRANCISCANEO NOSTRO

PVBLICE HABENDAS

INDICIT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS

RECTOR

Philos.

C.

203,18

DRESDAE LITTERIS HARPETERIANIS

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



A. Ω.



Præclara omnino sunt, quæ de communi eoqve perpetuo erga inimicos amore in medium protulerunt veteres philosophi. Jam Cicero (a) simillimum Deo ducit virum, qui animum vincat, iracundiam cohibeat, victoriam temperet, adversarium non modo extollat jacentem, sed dignitatem ejus etiam amplificet. Id quod velle non multitudinem tantum, sed pati consuetudinem ac ipsam ferre humanitatem in egregio suo (b) de officiis libro docet. Pari fere sapientia æs quasi triplex circa peccatus esse illi judicat (c) Plutarchus, qui hominem non amet hostis sui liberos pressos strenue sublevantem. Superant tamen ut plerisque in morum doctrinis ita & hic verborum dignitate & specie reliquos utiqve omnes Stoici, tam ornate & splendide de arduo hoc amore philosophantes, ut ex sospitatoris nostri schola eos esse egressos facile crederes.

Quod si vero Stoicam hanc de amore erga inimicos doctrinam, quam ipsi (d) ad optima philosophiæ suæ præcepta referunt, cum Christi præceptionibus conferimus, eaqve curatius expendimus, quæ tum (e) de humanarum actionum principiis, deque earum finibus atqve remediis, tum etiam de argumentis docent, quibus suos ad grave hoc officium flectunt ac commovent: luculentissime patet, qualibet hæc speciosa asserta ex iis derivari, quæ de Deo & anima humana perperam senserunt.

Sacri

(a) v. ejus Orat. pro M. Marcello C. III.

(b) L. II.

(c) in libr. de utilit. ex inimicit. capienda.

(d) M. Aurel. L. VII. § 22. 36.

(e) v. Buddei Analect. Hist. Phil. inqve iis Exercit. II. §. 7. seq.

Sacri codicis oracula, ut piorum hominum (f) amorem, quo adversarios suos amplectuntur, ad eos referunt gratiæ divinæ fructus, qui sublimiori Spiritus Sancti ope producuntur: ita christiani morum doctores ab hoc pio erga inimicos affectu & studio longe abesse cunctos jure suo credunt, qui lumine divino nondum collustrati solis naturæ nituntur viribus. Neque id inficiari videntur Stoici. Quo quidem nomine beneficiis vincere hostes divinæ virtutis opus esse dicunt (g) Seneca & (h) Antoninus, iis tantummodo proprium, quorum in animis sacer habitet Spiritus, ac quorum mens singulari divino fulgeat lumine. Ecquis vero mirabitur philosophum hunc in excolenda ardua illa virtute ad divinum provocare adjumentum, quum hominum mentem modo ipsum Deum atque divinæ *εὐλας* partem, modo sacrum quendam esse Spiritum, crebro doceat. Ex quo simul intelligitur, quid (i) de lumine illo divino sentiendum sit, quo pii atque casti homines illustrantur ex Stoicorum sententia. Quid enim impedit, quo minus eorum cognitionem ex Deo ejusque derivarent manifestatione, quorum animi cum summo numine tam indissolubili nexu cohæreant.

Cum homines, quam diu peccati vinculis sunt irretiti, neque detestentur odia, neque ad divinas leges se suaque componere velint ac queant: omnes omnino, qui tam gravi amoris officio faciunt satis, ad veram (k) libertatem per Dei gratiam

) (2

per-

(f) Gal. V. 22. Phil. II. 13. Jo. XV. 6.

(g) hinc in Epist. XLI asserit, bonum virum sine Deo esse posse neminem. Eadem fere jam Socratem docuisse ex *Æschinis* dialogo *περὶ ἀρετῆς* p. 29, discimus. Meretur potissimum hic legi Diff. XX Maximi Tyrii, quæ inscribitur. *εἰ γένοιτό τις θεῖα μοῖρα ἀγαθός*; an aliquis divinitus fiat bonus?

(h) L. XI. § 11.

(i) v. quæ contra Dacerium de lumine hoc divino præclare differit Buddeus in Anal. l. c.

(k) Jo. VIII, 36. Rom. VI. 19. 20.

pervenisse supponitur, quæ sponte eorum oblectantur felicitate, quos olim odisse juvabat. Et quid ad hæc Stoici? Non modo (l) sapientem solum credunt liberum omnibusque inimicitia atque invidia compedibus solutum, sed summum quoque libertatis huius fastigium in eo quaerunt, ut Deo obsequamur. Quorum verborum quæ esse possit sententia tum ex ineluctabili lege fati, cui omnia subesse volebant, tum ex ipsa libertatis definitione intelligitur, quam (m) Seneca subministravit, qui Deo, id est, naturæ parere atque subesse libertatis esse summam declarat.

Reducunt iracundos aliorumque calamitatem anhelantes viros ad (n) summum Dei ejusque misericordiae & amoris exemplum sacrarum litterarum monumenta, qui nos sibi virtutisque inimicos ac infensos tamen deamavit. Pari ratione ac dispari consilio ad divini erga hostes amoris imitationem excitat suos Seneca (o), siquidem summum hoc numen ne a benignitate quidem sua sacrilegorum nequitia deterreri possit. Ubi id commemoratu dignum est, his verbis duplex officium nobis commendare Stoicum. Primum ut sequamur Deum sive naturam, nec iniurias a scelestis nobis illatas atque adversa ferre detrectemus, quæ ex necessitatis lege disturbant & sollicitant mortales. Hac patientiæ laude quondam commotus exclamat (p) Epictetus: Volo quod Deus vult. Uti enim sancte & præclare sua agunt, (q) teste Seneca, qui naturæ vivunt convenienter sequere, Deo huic libere subjiciunt; ita peccant contra, qui iniurias ultri grave hoc decretum non perferunt. Præterea hac imitatione innuit, ut Deo evadamus similes, qui nihil mali agat, summæque bonitatis nobis sit exemplo. Quicquid enim
sed

(l) v. Arrian. in Epict. L. II. c. 10. itemque Cicer. Paradox. V.

(m) de vita beat. C. XV.

(n) 1. Jo. IV. 11. Math. V. 44. seqv.

(o) de Benef. L. I. C. I.

(p) in ipso Enchir. C. XXX. VIII.

(q) de vita beat, C. III, & VIII.

mali in hac rerum universitate est, non ex mundi anima seu Deo sed ex ejusdem materia deducunt. Tantum itaque abest, ut cum (r) Lipsio arbitremur, hæc amoris argumenta non sine Deo commovente esse excogitata, ut potius ex detestabili numinis Stoici definitione eadem derivemus.

Id quod ad hæc amoris officia adversariis pie præstanda quam maxime inflammare potest homines, est utique summa summi numinis scientia atque præsentia, qua se in ejusdem conspectu ubique agere probe norunt. Quoties inde invidiosi inque alios hostiles animi admonentur in sacris litteris, ut hujus (s) judicis ubique præsentis nec non (t) τῶν ἀγγέλων habeant rationem, nec hos actionum nostrarum testes lædant odio atque invidia. Quibus sapientiæ præceptis exacte respondere videntur Stoicorum principia. Sic enim in nosmet (u) converti debere inque Deum, qui intra nos sit, affectos esse interius docent, ut nihil mali, nihil odii & invidiæ nostris in animis perspiciat. Nec ad Dei tantum præsentiam provocat Seneca, sed ad grave etiam geniorum præsidium, quando: Ego (v), inquit, inimicis mitis & facilis ero; nam scio præsides Deos supra me circaque me stare factorum dictorumque censores. Quæ omnia quanquam ex christianorum hominum sententia valida satis sunt ad pium in nobis erga inimicos amorem excitandum, nihil tamen possunt & valent, si, ad quem Deum provocant Stoici, expendamus, ad monstrum videlicet illud, quod per omnes universi partes diffusum nec ulla gaudet libertate nec a geniorum natura distingvi potest.

Nihil denique est, quod Christi amicos magis eo inducere potest, ut ad ejusdem sanctissima præscripta vel adversariorum

)(3

salu-

(r) v. ejus Manud. ad Phil. Stoic. L. II, Diff. XVI. p. m. 779.

(s) Jerem. XXIII. 23. 24.

(t) Luc. XV. 10.

(u) Anton. L. III. 4 §. L. IV. §. 6.

(v) de vita beat. C. XX.

salutem in deliciis habeant, quam tum (w) naturalis illa cognatio, qua omnes omnino homines ex uno procreatos sanguine adeoque æquales inter se esse scimus, tum (y) spiritualis piorum hominum communio, quum sacro fonte initiati unius corporis membra facti sunt, cujus caput quasi est Servator ipse sanctissimus. Et quam lepide hac naturali hominum cognatione utitur (z) Seneca ad caritatem ipsos inter inimicos pie jungendam, ubi quoslibet homines corporis magni esse membra, ramos ejusdem arboris, naturaque cognatos speciose asserit, ex iisdem & in eadem natos, quibus mutuam indiderit natura amorem, ex cujus lege miserius sit nocere quam lædi. Quæ splendida Stoicorum asserita quantum veneni secum ferant facile intelligent, qui non inani ulla verborum specie ducti in ipsam rerum naturam descendunt. Enata videlicet est hæc propinqua cognatio, quam omnes inter homines eosque nobis inimicissimos intercedere clamitant Stoici, ex commento longe detestabili, quo ut supra dictum est, mentes humanas ex una rerum natura provenisse credunt, nec aliud sibi vult, nisi quod omnes unius universi sint participes, unumque prorsus constituent.

Quemadmodum vero summis præmiis homines invitavit ad hanc *φιλανθρωπίαν* exercendam potentissimus creator: ita quoque sempiternas post mortem pœnas ab illis repetere minitatus est, qui inimicorum suorum calamitate exsultant gaudioque triumphant. Sæpius hinc admonentur invidiosi vindictæque cupidi (a) in sacris litteris, ut memores sint immortalitatis animorum nec non judicii, quod post reditum ad sempiternam aliquam vitam de iis graviter fieri debet ex antea actis eorum negotiis

(w) Act. XVII. 26.

(y) Rom. XII. 5. Illustrat hoc uberius ex antiquitate sacra Arnoldus in historia cognationis spiritualis inter christianos receptæ.

(z) Epist. XCV.

(a) Math. V. 25. Rom. II. 5.

otiis. At ne hic quidem Christi præceptis cedere videntur Stoici. Etenim quando beneficiis vincendos esse inimicos (b) Seneca docet, hanc simul addit rationem, spem superesse, pacem æternam in Deorum societate secuturam. Eadem confidentia (c) alio loco asserit, venire iterum diem, qui nos reponat in lucem. Quid quod (d) multi crediderunt Stoicam mundi renovationem, qua res quaslibet rursus ita, ut nunc sunt, extituras esse volebant, mortuorum haud obscurius adumbrare resurrectionem. Sed quam dubia, quamque futilia & impia omnino sunt, quæ de animorum immortalitate disputant Stoici! Quantopere fluctuant de hominum vita post mortem philosophari Seneca & Antoninus, quorum alter (e): Contemnite mortem, inquit, qui vos vel transfert, vel finit. Et alio loco (f), quum de mentis æternitate differit, fateri non dubitat, se uti hac publica persuasione, quum non leve momentum habeat consensus hominum aut timentium inferos aut colentium. Quam frivole ac perperam hanc animorum immortalitatem ex eorundem in naturam seu Jovem (g) reditu deducunt, adeo ut quid de impiorum condi-
tio-

(b) Provocat quoque ad hanc pacem æternam de filii obitu Marciam consolatus C. XIX.

(c) Epist. XXXVI.

(d) v. Originem contra Celsum L. V. Pari ratione tam μετεμψύχωσιν ἢ μετενσωμάτωσιν Aegyptiorum & Pythagoræ, quam παλιγγενεσίαν Stoicorum ex obscura quadam notitia corporum nostrorum reditus in vitam deducit M. Felix & Lactantius L. VII. 23.

(e) Senec. de provid. c. 9. & M. Aur. L. VIII. §. 58.

(f) Epist. 177.

(g) hinc etiam immortalitatem hanc modo tribuerunt modo detraxerunt animis. Interire eos dicebant, ut qui desinant esse id, quod erant; immortales vero esse, quod in æternam universi naturam revolvantur, sive ut Demonax apud Lucianum illud explicat, immortales quidem esse, verum ut universa,

tione post mortem statuendum sit, ipsi prorsus nesciant. Mirum inde non est, jam antiquissimis temporibus fuisse, qui, si (h) Lanctantium excipias, aperte docerent, Stoicos hominum animos habuisse mortales. Ex omnibus autem facile colligitur, quam parum momenti sempiterna illa pax publica que de mentis æternitate persuasio, ad quam Seneca provocat, afferre potuerit ad hunc pium erga hostes amorem confirmandum.

Sed revocat nos jam instituti nostri ratio a Stoico hoc inimicorum amore ad sincera amicitia & caritatis studia, quibus se dignos semper exhibuere Juvenes Ornatissimi, quorum alter

CAROLVS FERDINANDVS RICHTERVS, Gubena Lusatius,
 ut per hos sex fere annos, quibus institutione nostra est usus, nihil quæsit studiosius, quam ut patri seni suo, de Gubenensium republica optime promerito Consuli, familiae que suæ præ-nobilissimæ, insigni aliquando esset ornamento, ita etiam in lingvarum humanitatisque ac artium studiis tam feliciter profecit, ut & pietate morumque elegantia & diligentia sua omnium sibi amorem & gratiam conciliaverit. Divinis hinc auspiciis Wittebergam se recepturus oratione gallica Patronis Præceptoribus amicisque suis ultimum dicet vale præmissa oratione latina, qua egregia principum Misnie in Lusatiam merita exponet.
 Cujus abitum

CAROLVS CHRISTOPHORVS de ZEHMEN, Eques Misn. piis votis ac precibus suo & amicorum nomine prosequetur, oratione germanica eorum simul confutaturus *argumenta, qui Lufatos equestri dignitate & ordine conspicuos non Germanorum sed slavorum sanguine credunt oriundos.*

Quos inde juvenes ut præsentia sua ornent atque cohonefent, Patronos atque Fautores, qui Musis nostris patrocinantur, omni, qua decet, pietate & reverentia oramus. Per-

scripsi Misnæ d. 27. Febr. Ao. ∞ 1000XXXXIX.

(h) L. III, c. 19.

